



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput II. [i.e. IV.] Ex Concilio a Parisiensi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

cap. 63. *Concil. Illiber.* tantum juberi clericis uxorem peccantem dimittere, quia de laicis idem districtius cavebatur in can. 70. *eiusdem Concilii*, ibi: *Si confesio marito, & ipso consentiente fuerit uxor moechata, placuit nec in sine eis dandam esse communionem: si vero eam reliquerit, & separati fuerint, & dignè penituerint, post decem annos accipiant communionem.* Ubi de lenocinii turpitudine nonnulla notavi: & licet deesset hæc constitutio, adhuc argu-

mentum à contrario sensu deductum non obstat, cum sequeretur absurdum. Nec obstat textus in d. c. *placuit.* Nam in eo canone expressè jubetur, ut clericus mulierem peccatricem à cohabitatione abiciat, nec cum ea cibum sumat: jubetur tamen, ut in domo propria, tanquam in carcere privato, ut exponit *Forner. lib. 3. rer. quotid. cap. 10.* eam retineat, ut jejuniis, & aliis piis operibus maceretur; non tamen quia cum ea cohabitare possit.

CAPUT II.

Ex Concilio^a Parisiensis.

Maritis etiam ex^b suspitione uxores accusare permissum est; & ipsi plus ceteris de adulterio & accusare possunt, & c^c defendere.

NOTÆ.

1. ^a **P**arisienſi.) Etiam ex Concilio Parisienſi citatur textus hic à Burchardo *lib. 16. Decreti, tit. 3. cap. ult.* in prima autem collectiōe, *sub hoc titulo cap. 5.* legitur *Alexander III. Parisienſi Episcopo.* Quam inscriptionem veriorē credo, cum in nullo ex Conciliis Parisienſibus hucusque editis reperiantur verba in præſenti transcripſa: & forsitan hic refertur fragmentum alicujus epistolæ missæ ab Alexandro III. Parisienſi Episcopo. De Parisienſi diœcesi nonnulla adduxi in *cap. final. de rescriptis.*
2. ^b **E**x suspitione.) Licet regulariter ex sola suspitione nullus accusandus, damnandusque sit, *cap. multi 2. quest. 1. D. Thomas 2. 2. quest. 60. art. 3.* quia nemo nisi legitimis probationibus, & luce meridiana clarioribus convictus fuerit, damnari valet, *cap. 1. cum sequent. 2. quest. 1. l. qui sententiam 16. Cod. de penis:* quare secundum Tullium *Calliodorus lib. 1. variar. epist. 3.* Siculæ gentis naturam damnat, ut quæ facilius ad querelas, etiam de suspitionibus accusare soleat; proinde maritus lenocinii crimine teneri dicitur, si uxorem in ipso scelere deprehensam, non verò si suspectam de adulterio retinuerit, *l. 2. Cod. ad leg. Jul. de adult.* Tamen interdum ex suspitionibus proceditur, & quis damnatur. Unde Imperatores in *l. 2. C. de hereticis.* eos etiam, qui vel levi argumento detecti fuerint ab orthodoxæ religionis tramite deflexisse, ut hæreticos damnant, & quandoque criminum suspitionem pariter ac ipsa crimina vitari, jura præcipiunt, *l. 2. l. civile 5. Cod. de furtis, l. 2. Cod. Theodos. de famosis libel. ubi pro abdicationem, reponit vindicationem, Fornerius lib. 1. rer. quotid. cap. 26.* Quare ob solam suspitionem accusari posse mulierem adulterii, docetur in præſenti, & in *l. quamvis 30. Cod. ad leg. Jul. de adult. l. uxor 7. Cod. de repudiis:* & refert *Quintilianus declamat. 284. de adultero sacerdote, ibi: Sed fingere ex suspitione egisse cum illo adulteris, nempe damnatus caruisset sacerdotio,* &c. Hoc enim singulariter admissum est in crimine adulterii, quo magis in officio contineretur pudicitia mulierum, quas non ab adulterio tantum, sed ab ejus etiam suspitione alienas esse oportet; ideo jure civili conceditur marito post trinam denunciationem occidere eum, quem de adulterio suspectum habet, *novel. 117. §. his quoque.* Legimus etiam *Crispium Constantini Magni filium jam Cæsaris dignitate præditum, ob suspitionem consuetudinis cum Fausta*

noverca à patre occisum indictâ causâ, apud *Suidam* verbo *Crispus, Zonaram lib. 3. annual.* Et uxorem non tantum ob fornicationem, verum & ob fornicationis suspitionem, ut accusari à viro, sic & dimitti posse testatur *D. Hieronymus in cap. dixit 32. quest. 1.* idque *Cajo Cæsari* contigisse memorat *Plutarchus in ejus vita.* Hic enim cum fortè *Pompejam* uxorem repudiasset ob suspitionem stupri noctu cum *Clodio* in sacris *Bonæ Deæ* commissi; cumque testis in ream ipse citatus, nihil se eorum, quæ objecta fuerant, nosse responderet; interrogavit accusator, cur ergo uxorem tuam repudiasti? At ille: *Quoniam, inquit, meam nec suspitionibus quidem obnoxiam esse oportere censui.*

^c **E**t defendere.) Verba hæc exposui in *cap. tue 5. de procurat.*

COMMENTARIUM.

In præſenti tantum agitur de accusatione uxoris adulteræ, circa quam varia singulari jure recepta sunt, quæ in aliis publicis judiciis non procedunt. Et primò licet ad accusationem publicorum criminum omnes admitterentur, pensatis accusatorum personis, dignitate, ætate, moribus, aliisque causis *l. si plures 16. ff. de accusat. l. 2. l. 3. §. 1. ff. de popular. action. l. 3. §. si ad plures 9. ff. de sepulchro violat. l. 1. §. lege Jul. l. mariti 29 §. penult. ff. hoc tit.* at in accusatione adulterii proprium, præcipuumque jus fuit mariti, parentisque, atque in primis mariti, cui meritò ob violatum adulterio thorum, injuriamque præcipuè illaram, dedit *lex Julia* primum in accusando locum, utpote injuriæ propriæ vindicæ, ideoque idonei accusatori, *l. 2. §. si simul 8. l. si maritus 15 in princip. ff. ad leg. Jul. de adult.* *Terullianus de cultu femina. Maritus est castitatis exactor: mulieribus (certò) ratio castitatis persuadet, pena legis imponit, terror maritalis extorquet.* *Quintilianus declamat. 339. Mariti mores excutiant, mariti severitatem desiderant.* Post maritum, eique deficienti, aut non accusanti, succedit parens, suæ itidem injuriæ vindex, ob naturale permanens, etiam in matrimonio: pudoris, & amoris vinculum, *dist. l. 2. §. 8. l. 4. §. 1. dist. l. si maritus 15.* Quod adeo procedit, ut si maritus præventus à patre, vel vir, parentisve ab extraneis accusatore, adhuc semoto eo, ut minus idoneo, debitus cuique ex *lege Julia* accusandi locus servetur. Deinde post maritum admittuntur ceteri necessarii, exclusis extraneis, *l. quanto 30. in princip. Cod. hoc tit.*

tit. Nec contrarium probat textus in l. 4. §. extraneus. ff. hoc titulo, ubi Ulpianus post maritum, & patrem accusandi facultatem extraneis concedi tradit, Nam respondendum est, Pandectarum iure hac in materia extraneos omnes ceteri præter maritum, & patrem, ut constat ex lib. 2. §. marito, §. simul l. 3. ff. hoc tit. Nova verò Constantini constitutione relata in dict. l. 30. cum extraneis accusetur ab occasione adulterii, ibi: *Extraneos procul arcemus*; ab hac lege extraneorum eximuntur pater adulteræ, ejus frater, & proavus, immò & filii quoque, & consobrini, ex lib. 2. Cod. Theodos. de adulter. Aliud singulare hujus exculationis versatur circa tempus præscriptum ad eam proponendam; nam licet aliis criminibus accusandis viginti anni definiti sint, lib. querela 21. Cod. ad leg. Corn. de falsis lib. 2. §. 3. Cod. de requirendis reis, adulterii tamen accusatio quinquennio permittitur, etenim adultero accusando quinquennium computatur ex die admissi criminis; adulteræ sex menses utiles à die divortii: qui tamen ita sunt computandi, ne excedant quinquennium continuum ex die admissi criminis numerandum, l. mariti 29. §. sex menses, & sequent. l. quinquennium 31. ff. hoc tit. l. 5. §. 28. Cod. eod. l. 1. §. accusationem, ff. ad Turpil. Ex his sex mensibus utilibus, quos adulteræ accusandæ definitos diximus, primi duo, id est sexaginta dies utiles, dantur marito, patrique ad accusandum jure mariti, vel patris, reliqui verò quatuor menses cedunt extraneis ad accusandum, maritoque & patri, sed jure extranei, l. 2. §. penult. & ult. l. 3. l. 4. §. 1. l. 11. §. sexaginta, l. 14. §. penult. l. 30. §. 1. ff. hoc tit. l. 6. Cod. eod. Enimverò sexaginta hi dies diversè numerantur in mari, ac in femina accusandis. Etenim quoad adulteram à die commissi criminis computantur, l. mariti 29. §. sex menses, l. pater 30. §. ff. hoc titulo, l. jure 3. Cod. eod. l. 1. §. accusationem 10. ff. ad Turpil. quia & statim accusare adulterum licuit. At quoad uxorem non à die criminis admissi, sed divortii dinumerari dies obtinuit, quia nec ante divortium maritus, parente instituebant accusationem, l. professus 12. §. 1. & 2. ff. qui & quibus, l. crimen 11. Cod. hoc tit. etsi novo jure id facere permittatur, novel. 17. cap. 3. authent. sed novo, Cod. hoc tit. Nec extraneus uxoratam feminam nuptam, ream adulterii postulare poterat, ne liceret cuivis extraneo bene concordans matrimonium subvertere, nisi simul de mariti lenocinio conquereretur, l. 11. §. volenti 10. constante 26. ff. hoc titulo. Aliud singulare etiam procedit in ipsa accusatione; nam cum in aliis publicis judiciis instituendis actor cogatur in libello accusationis subscribere, ex traditis in cap. super his 16. de accusat. in hac tamen accusatione remittitur marito hæc necessitas cessante præsumptione calumniæ, l. is cuius 14. §. penult. & ult. ff. hoc tit. l. auxilium 37. §. 1. ff. de minor. l. 3. C. de calumn. l. 1. §. quæri, ff. ad Turpil. l. jure 6. Cod. hoc tit. Et ita ex calumnia non tenetur, nisi evidentissimis probationibus liqueat eum habuisse animum calumniandi, l. si maritus 15. §. final. ff. hoc tit. in illis verbis: *jure mariti qui accusant, calumnia periculum non evitant.* Docent Cujac. de præscrip. cap. 13. Ant. Mattheus de crimin. ad tit. de adult. cap. 4.

4. Hactenus egimus de accusatione adulterii jure mariti; nunc videamus de accusatione jure extranei ex judicio publico de adulteriis instituendo.

Et quidem elapso prædicto tempore marito, & patri ad accusandum concessio, vel si intra id tempus constiterit eos accusare nolle, l. 15. §. si negaverint, ff. hoc titulo, succedebat ex judicio publico accusatio, & cuilibet extraneo ex populo concedebatur, l. 2. §. ult. l. 4. §. extraneus 4. ff. hoc tit. & marito etiam intra id tempus iure extranei accusare uxorem licebat, modò subscriberet in accusatione, l. 3. C. de calumn. non tamen contra elapsum tempus accusationis jure mariti restituitur maritus minor, quoniam ut eleganter Papinianus ait, restitutionis auxilium executionibus poenatum paratum non est, l. auxilium 37. §. 1. ff. de minor. l. si cum 10. §. 1. ff. si quis caution. l. 1. §. qui lege 2. ff. ad leg. Jul. de ambitu, l. qui 35. l. pena 42. ff. de condit. in deb. Accentur tamen ab hac accusatione jure extranei servi, libertive contra patronum, qui de adulterio accusare nequeunt, l. 7. ff. ad leg. Jul. Majest. l. 6. ff. de accusat. l. 26. §. ult. C. qui accusare, l. quoniam, C. de test. sicut & lenocinio, vel infamia notatus; censuit enim Augustus inter idoneos accusatores in criminibus publicis admitti non debere eos, quos vel status, vel natura indignos facit, l. qui accusare, ff. de accusat. l. ult. C. qui accusare, l. 38. §. ult. ff. de adult. Unde quamvis generaliter, & propter ætatem excludantur à quocunque criminali judicio (si immanissimum Majestatis scelus excipias) femina, pupillive: tamen speciali jure in adulterio, in quo robustæ ætatis accusatorem exigimus, ab accusando arcemus minorem, l. si quis 15. §. lex Julia 6. ff. hoc tit. l. cum Prætor, ff. de jud. Ulterius accusatio hæc jure extranei permittitur, sicut & illa jure mariti, tempore suo circumscribitur, finiturque, quia post sexaginta dies marito datos, de quibus supra, cedunt statim alii quatuor menses cuicumque extraneo. Contra reum autem adulterii portigitur accusatio usque ad quinquennium, l. 4. §. extraneus, l. maritus 29. §. sex menses, l. quinquennium 31. ff. hoc tit. l. 5. §. final. ff. ad leg. Jul. de vi, l. 1. §. accusatio ff. ad Turpil. l. 5. §. 28. C. hoc tit. Eo quinquennio elapso accusandi amplius jus non est: idque peculiare est in adulterio, quia in aliis, ut in ceteris publicis judiciis, non nisi vicennio præscribitur accusandi jus, l. querela 12. C. ad leg. Corn. de falsis. l. 5. C. hoc tit. l. 2. Cod. Theodos. & intra annum crimen, l. submersis 6. C. Theodos. de naufragiis. Alia etiam differentia versatur circa hoc tempus præscriptum ad accusationem adulterii, quia videlicet in adultero accusando tempus continuum est, l. 1. §. 4. l. mariti 29. §. 7. ff. hoc tit. ideoque computantur in eo etiam dies feriati, & in quibus accusator experiri non potuit. E contrario in adultera à die divortii, & in adultero à die commissi criminis tempus computatur, diesque utiles sunt, dict. l. 29. §. sex menses. Adeo autem quinquennio præscribitur facultas accusandi, ut nec eo elapso duret jus mariti, parentisve tempore non consumptum, si forte tardius quam debuit, accusavit, dict. l. maritus 29. §. sex menses ff. hoc tit. & è converso etiam mortuæ adulteræ uxore ante elapsum quinquennium, permanet accusatio contra adulterum postulatum adulterii, l. qui donum 8. l. maritus 29. §. quinquennium, ff. hoc titulo, juxta quæ juris principia hucusque præjacta rectè Alexander III. in præfenti docuit maritis specialiter competere jus accusandi uxores; immò hodie extraneis non datur facultas accusandi adulterum, dict. l. 80. Tauri, l. 2. tit. 2. lib. 8. recopit.